

seculo effectu; efficaciter vero, quando incipienti Deo cooperatur liberum arbitrium, et monenti salutem, paret nostra voluntas; quæ verba, si in Molina invenirentur, dicerent forte non distinguere auxilium efficax ab inefficaci, nisi ab eventu, et illum sequi vel non sequi pro innata voluntatis nostræ libertate; ergo ut minimum ex eis colligere debemus, eum non posuisse motionem mediam inter excitationem et consensum, in qua consistat efficacia, sed ipsam excitationem vocari efficacem, quando ita datur ut obtineat consensum, inefficacem vero, quando illum non consequitur. Addit vero aliquid quod videtur nobis contrarium, videlicet, quando Deus movet efficaciter, tunc necessario sequi consensum: *Ceterum, quando efficaciter movet, tunc liberum arbitrium necessario cooperatur*; qualis autem sit illa necessitas, ita exponit: *Nam hoc est efficaciter moveri, quod subsequatur cooperatio liberi arbitrii*. Non ergo ponit necessitatem in causa, seu in intrinseca virtute motionis, sed in effectu, quia cum dicitur motio efficax, jam dicitur illi cooperari liberum arbitrium, unde adjungit: *At hæc necessitas non est simpliciter, sed secundum quid, quia illa cooperatio liberi arbitrii est necessaria sub instanti sub quo est, quia omne quod est, quando est, necesse est esse; at est libera simpliciter, quia poterat liberum arbitrium illam non prestare*. Ac si diceret, est necessitas consequens, non antecedens, id est, ex suppositione ipsius usus liberi, non ex suppositione motionis, nam illa non obstante posset arbitrium suam cooperationem non prestare. In distinctione autem 26, ubi de gratia operante et cooperante disputat, nullam aliam præoperantem gratiam actualem agnoscit, nisi auxilium (ait) quo Deus excitat mentes ad bene volendum, quod auxilium vocat etiam gratiam prævenientem, et vocationem, quam cum Augustino effectricem bonæ voluntatis appellat. Unde repetens inferius divisionem gratiæ efficacis et inefficacis, dicit tunc esse inefficacem quando est sola gratia operans, efficacem vero quando est etiam cooperans; tunc autem est cooperans, quando cum illa agit liberum arbitrium. Nullam ergo prædeterminantem gratiam hic auctor agnovit. In eo vero quod alibi dixit de concursu Dei, vel non satis consequenter loquitur, vel certe in modo tantum loquendi differt, ut de Soto diximus, nam eodem modo quo Soto, de prioritate naturæ generalis concursus loquitur.

11. Adnumeratur Ruardus. — Liberum ar-

bitrium esse facultatem qua, positis omnibus requisitis ad eligendum et agendum, possumus non eligere, et non agere. — Venio ad alios auctores qui, contra Calvinum ex professo scribentes, punctum hujus causæ distinctius attigerunt. Quinto ergo loco numeramus Ruardum, quem Bannez et Ledesma ingenue fatentur sententiam nostram docuisse; Cumel vero, cum id simpliciter negare non sit ausus, dicit saltem varie sensisse, et interdum in unam, interdum in alteram partem declinare, ac denique utramque partem censuisse probabilem. Quoniam vero hic auctor, in artic. 7 contra Lutherum, fere a principio, per multas paginas punctum hoc prosequitur, ad iudicium ferendum de illius sententia, non hæc vel illa verba separatim sumpta sumenda sunt, sed tota series doctrinæ est attente inspicienda, et non quid dubitationis movendo aut difficultatis proponendo, sed quid definiendo et assertiones stabiliendo dicat, est considerandum. Primo ergo pro fundamento totius materiæ ponit receptam definitionem liberi arbitrii, quam nos in prolegom. 1, posuimus, dicens: *Liberum arbitrium est facultas qua, positis omnibus requisitis ad eligendum et agendum, possumus non eligere et non agere*, quam descriptionem de potestate composita cum omnibus requisitis declarat, dicens: *Ita, videlicet, quod, omnibus similiter se habentibus, quando eligimus possumus non eligere, imo plerumque refutare, et quando non eligimus aut refutamus, possumus eligere aut non refutare*. Statim vero proponit difficultatem de generali concursu, dicitque esse facilem, quia Deus movet unamquamque causam modo illi accommodato. Propter quod ait: *Deus liberum arbitrium sic movet, ut non ex necessitate moveat, nec ad unum ipsum determinet; quæ duo æquivalentia censet, et ideo utramque negat, ea vero verbis distinguit, ut tergiversationibus occurrat*. Ex hoc ergo fundamento, post plures columnas, § *Et quia articulus*, procedit ad tractandum de concordia libertatis in operibus pietatis, cum necessitate gratiæ ad illa exercenda, et infra, in § *Et post homo per liberum arbitrium*, nomine gratiæ declarat intelligi auxilium gratuitum animam interiorius moventis, dirigentis, et inspirantis ei cogitationes salutares, ac bonum propositum, atque ad ea quæ sunt salutis; et infra dicit: *Deum in corde operari, illuminando intellectum, et voluntatem afficiendo*; et iterum: *Divina suasio, suggestio, pulsus ad ostium cordis, directio Dei, quando intus in corde*

fiunt, proprie sunt gratia per quam bene agimus. Omnis tamen affectus Dei gratuitus, qui natus est salutem hominis promovere gratiæ hic intelligi potest; et addit hanc esse gratiam, quæ in interna Dei motione consistit.

12. Ex quibus constat nullum aliud auxilium præmoventis gratiæ hunc auctorem cognoscere, nisi illud quod in his motibus gratiæ excitantis consistit. Post tres vero columnas, attingens cooperantem gratiam, dicit, *licet gratia sit ratio operandi, nihilominus totum pium opus, et quidquid est ejus, et gratiæ esse, et liberi arbitrii*. Et rationem infra indicat, quia licet actio habeat a gratia quod supernaturalis sit, a voluntate habet quod sit libera: *Nulla enim est actio (inquit) libera, nisi per vim et naturam liberi arbitrii, a qua sola nascitur omnis libertas*. Paulo vero inferius, difficultatem quæstionis hujus concordie argumentando, et dubitando, dicit *Deum uti voluntate ut instrumento, applicando illam ad opus, quam difficultatem etiam in operibus liberis naturalis ordinis inveniri dicit: Quia per divinam providentiam voluntas movetur, et determinatur ad opus*. Cui postea respondet, Deum agere in cordibus nostris, *suasione inclinando, et dissuasione advertendo*. Quia novit (inquit) *Deus vocare unumquemque quomodo pro suo arbitrio aptum, et idoneum novit ad sequendum*. Quod late testimoniis Augustini a nobis supra citatis confirmat, nec alium modum, quo Deus voluntatem nostram determinet, admittit: *Quia suasio sola (dicit paulo inferius), sive ab homine, sive a Deo fiat, non movet efficaciter voluntatem. Ipsa enim sola (inquit) ex suo iudicio se flectit in eam partem, quæ magis placet*. Ubi particula *sola* non excludit generalem concursum simultaneum Dei, excludit ergo prædeterminationem efficacem ab extrinseco agente. Nihilominus tamen statim subdit, *posse Deum efficaciter flectere hominis voluntatem a proposito, quod habet, in aliud*. Hoc vero consequenter exponit de efficaci motione per suasionem accommodatam, juxta infinitam scientiam et potentiam Dei; sic enim ait: *Sed hoc facere potest Deus in operibus pietatis, per semina sanctarum cogitationum et affectionum, quibus misericorditer hominem prævenit, quod testimoniis Augustini late comprobatur*.

13. Hoc ipsum prosequitur in § *Potest etiam homo*, ubi, parum post principium, distinctius proponit quæstionem, quam obscurem et perplexam esse dicit: *An bonus usus gratiæ, qua a Deo prævenimur, et qua voluntas ad con-*

versionem præparatur, nostri sit liberi arbitrii, etc., quam disputat variis Augustini testimoniis, quibus docet conversionem esse tribuendam libertati voluntatis, non tamen soli, sed divinitus adjunctæ, utique per cooperantem gratiam. Quia vero Augustinus in multis locis videtur loqui de sancta cogitatione et illuminatione, quæ ad intellectum pertinet, addit inferius Ruardus quod, licet, præter suasionem ex parte intellectus, *exigatur alia gratia, per quam immediate inclinetur et accommodetur voluntas per pium affectum, per quem etiam voluntas a Deo effective flectatur, nihil mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero usu gratiæ, quia ita suaviter inclinatur et determinatur eam Deus, ut ex consilio, et iudicio, et sic libere sequatur hanc Dei appropriationem*. Ex quibus verbis non satis perpensis, existimavit F. Cumel docuisse Ruardum prædeterminationem physicam ad consensum non repugnare libertati consensus. At Ruardus longe est ab illo sensu; sententia enim ejus in eis verbis est, præter illuminationem intellectus, movere etiam Deum voluntatem, determinando illam ad aliquem affectum non liberum, sed necessarium, nec propterea lædi libertatem in bono usu gratiæ, quia ex illo priori ac necessario affectu sequitur per liberam determinationem consensus. Quem sensum evidenter declarat, dum addit: *Spiritus Christi, suadendo ut sequamur, simul voluntatem quasi naturaliter afficit placentia quadam rei suasæ, quæ est voluntati ratio se determinandi, principium et seminarium bonorum volitionum, quas ex eo quasi semine producit*. Non poterat certe clarius aut doctius rem explicare, et ostendere, neque ponere præviam motionem gratiæ, nisi per actus vitales, tam voluntatis, quam intellectus, nec ponere necessariam consecutionem consensus ex talibus actibus, sed docere ad illum se determinare voluntatem gratia adjunctam. Et, quod caput est, subjungit statim: *Quod autem diximus de libero usu, liberoque neglectu gratiæ, quæ datur ad penitentiam et conversionem peccatoris, quodque et ad ipsam vel uti possumus et converti, vel negligere etiam eam, quæ ad conversionem est sufficiens, sic quod ea stante non convertamur, adeo ut in neutra parte contradictionis sit necessitas, sed mera contingentia, definitum est in Concilio Tridentino, in decretis, et Canonibus de justificatione*. Et post verba Concilii adjungit: *Nam sicut credere voluntarium est, ita et de peccatis propter Deum penitere, et ab eis ad Deum converti, nec ulla*

ad hæc esse potest per quamcumque gratiam necessitas, quin contemni possit.

14. Post prædictam vero resolutionem, quam satis constanter tradit, movet alias quæstiones, quibus per varias assertiones respondet, quarum plures eandem doctrinam continent, et extendunt potius quam diminuant. Nam in prima ait posse hominem ex viribus liberi arbitrii sufficientem vocationem non contemnere, quia potest non peccare, et contemnere esset peccare. In secunda vero ait, percipientem Dei pulsum posse sine nova gratia habere sibi gratum, quod Deus cor ejus pulsare dignetur, utique per novum actum liberum, ut evidentè exponit. In quo necesse est ut de gratia præveniente loquatur, nam nova gratia concomitans semper necessaria est, ut in tertia assertionem statim declarat. Quod ergo in prima dicit, de viribus liberi arbitrii intelligendum est, vel præcise spectando libertatem actus, vel melius non excludendo concomitantem gratiam, quæ semper ad non peccandum contra naturale præceptum necessaria est; nam quia illa non præcedit liberum arbitrium, sed comitatur illud, ideo non semper exprimitur. Unde universaliter addit in quarta assertionem, *omnes gratias, quæ sunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur et protegimur, et universæ, quæ præcedunt tempore vel natura Dei operationem efficacem, esse posse sine usu et fructu, etc., nec voluntati adducere necessitatem.* Et in quinta et sexta explicat gratiam efficacem per vocationem ex proposito. In septima vero clarissime attestatur eandem vocationem in uno non habere effectum, quia sola sua libertate illam negligit, ideo vero habere conversionis effectum, quia, ipso annuente, Deus conversionem ejus efficaciter operatur, utique auxilio simultaneo. Nam ideo subdit in hoc servari proportionem inter supernaturalia et naturalia: *In eo enim (ait) qui vult ambulare, etiam Deus cooperatur, et si non vult, Deus ei non cooperatur, et tamen nihil est positivum absolutum ante actionem in uno, quod non sit in alio.* Eandem doctrinam repetit in assertionem 10, de duobus æque vocatis, quod ex libertate unus consentit, et non alius. Et reddit rationem: *Quia, omnibus positis quæ præcedunt, et requiruntur ad fidem et conversionem, libera manet voluntas, nullaque inducitur necessitas se determinandi ad credendum, vel sequendum vocationem, nec ad oppositum.* Quod ex Augustino late probat, et inferius addit: *In omni enim materia, ita pietatis et gratiarum, sicut*

*moralis et civili, ad voluntatem pertinet se determinare ad unam vel alteram partem, et addit verba notanda: Et quamvis sub Dei determinatione, non tamen propterea minus libere se determinat, quam; si non concurreret, nec determinaret Deus.* Quod profecto dicit propter concursum simultaneum, quem determinationem Dei appellat, quia vere efficit determinationem ipsam voluntatis, quamvis non sine ipsa se determinante.

15. Et ideo paulo inferius cum dixisset, non obstante hac libertate nostræ determinationis, eos qui secundum propositum vocantur, indeclinabiliter sequi Dei impulsu, addit id fieri modo occulto, et soli Deo cognito, solumque constanter affirmat *directionem Dei nihil ponere in homine sic indeclinabiliter directo, præter motus cordis, quales sunt etiam in alio, qui secundum hoc propositum non dirigitur.* Unde paulo inferius sic inquit: *Potest quidem humana voluntas resistere divino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei, quia corda hominum in manu Dei sunt, et quocumque voluerit inclinabit ea, quamvis sese efficienter sola determinet, ubi particula sola (ut sæpe dixi) excludit prædeterminationem ab alio, non concursum, nec influxum simultaneum comitantis gratiæ, ut paulo antea ex Prospero citaverat, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 9, alias 25.* Non potest ergo de hujus auctoris sententia dubitari, nimirum, quod in neganda physica prædeterminatione nobiscum conveniat. Nam licet interdum dicat esse obscurum, quid addat vocatio congrua non congruæ, non id dicit propter physicam prædeterminationem, quam pro certo supponit non addi, sed propter alios modos tollendi aliqua impedimenta, avertendi cogitationes, vel quid simile, de quo etiam inter nostros auctores est controversia, ut in cap. 48 dicam. Atque eodem modo, multo post, respondendo ad Calvinum, in § *In eo hallucinantur*, eandem doctrinam repetit, videtur tamen illam solum tradere ut probabilem, ita ut liceat unicuique in suo sensu abundare. Sed hoc non de physica prædeterminatione intelligit, sed de quæstione illa, an in eo qui convertitur, aliquid prius natura præcedat, quod non detur ei qui non convertitur. In hac enim quæstione, licet ipse negantem partem ut probabilior sequatur, aliam relinquit aliorum iudicio, addit vero statim: *Quod autem Calvinus hic proponit, quod, scilicet, motio Dei electionem excludat, improbabile est, et Scripturis et Patribus adversatur.* Quid autem est

electionem excludere, nisi prædeterminare physice? Et addit notabiliter: *Efficacia enim divinæ motionis, qua cor hominis ex pravo fit rectum, hominis fit cooperatione.* Hæc paulo fortasse fusius quam par esset a me dicta sunt, cogit tamen nos justa veritatis defensio, nec credimus futurum inutile, nam in his quæ retulimus, multa tetigimus quæ veritatem ipsam magis explicare et confirmare, et aliquas duriores locutiones lenire et interpretari valent.

16. Adponitur Driedo. — Sexto loco ponimus Driedonem, quem pro nostra sententia post nos retulit etiam Ledesma; F. autem Cumel doli nos arguit, quod illum diminute et subdole allegaverimus. Et mirabiliter, ut ipse ait, ponderat multa in Driedone, de Captivitate et redempt. gener. human., in secunda ejus parte, imprimis videlicet, quod comparat Deum moventem liberum arbitrium per gratiam, artificii utenti aliquo instrumento vivo. Deinde expendit locutiones, quia dicit gratiam nos trahere, et facere ex nolentibus volentes, et dare non tantum posse sed etiam velle, prævenire, movere, ac determinare liberum arbitrium. Facile autem lector advertet hæc omnia generalia esse, et fere omnia in Scriptura contenta, et ideo nihil referre ad punctum controversiæ, quod in explicando modo ejus efficientiæ et efficaciam gratiæ consistit. Unde, quamvis non asseramus Driedonem in eo capite nostram sententiam docuisse, quia de controversia non disputat, nihilominus multa in illo observari possunt, quibus clare ostendit nihil aliud quam nos de efficacia gratiæ sensisse.

17. Et imprimis illud ipsum exemplum de artifice et instrumento statim corrigit, assignans differentiam, quod instrumentum necessitate et vi impellitur: *Libera vero hominis anima (inquit) a Deo recipit suavitatem quamdam, seu inclinationem, qua ex proprio iudicio movetur, ex libera et spontanea voluntate, ad actum et motum.* Deinde prius comparaverat gratiam lumini, et inter alia illud exponendo dixerat: *Potestas liberi arbitrii designatur, in hoc quod ipsa mens, jam divinitus mota et excitata, sentiens adesse Jesum Salvatorem, et utcumque percipiens præsentem esse medicum, qui paratus est sanare et illuminare, potest cordis ostium aperire, pulsare, orare, clamare etc.* Præterea nunquam motionem Dei præviam declarat, nisi per excitantes gratias, eodem modo quo Augustinus et Prosper, quos refert: sicque inter alia inquit: *Deus facit,*

*sua interna inspiratione præveniens ob bonum voluntatis nostræ consilium, et ex nolente faciens volentem.* Omnia ergo illa quæ Deus dicitur facere in nobis, ut velimus et facimus, intelligit hic auctor, sequens Augustinum et Patres, fieri per inspirationem et vocationem, cui nostra voluntas cum cooperante gratia statim conjungitur. Neque aliam motionem mediam inter excitantem gratiam et simultaneum concursum agnoscit, neque unquam dixit gratiam Dei determinare voluntatem nostram, ut ei imponitur, sed solum inclinare, movere, vel mutare, et similia, quæ communiter gratiæ excitanti tribuuntur. At quamvis verbo *determinandi* interdum utatur, ex reliquis omnibus constaret non de prædeterminatione physica quoad exercitium, sed de objectiva et sufficienti determinatione morali, vel de concomitante physica esse intelligendum. Unde tandem ex pluribus sensibilibus exemplis et modis loquendi, quibus efficacitas gratiæ declarari solet, illum præfert, quo dicimus *Deum esse spiritualem medicum, et duce, et illuminatorem.* Et inter alias rationes cur illum modum explicandi præferat, præcipua est, quia *ille modus docet nos intelligere quod Deus, sua gratia adjuvans homines, neque cogit liberum arbitrium, neque impellit necessitate, neque impedit potestatem libertatis illius.* Et similes sententias et modos loquendi in illo capite repetit, quibus eandem mentem et doctrinam testatam reliquit.

18. Idem Driedo. — Eandem doctrinam eisdem fere loquendi modis tradidit Driedo in eodem opere, tract. 4, cap. 2, part. 5, ubi in prima conclusione dicit, *credere esse per vim arbitrii non solum, sed suasam, et tractam, et edoctam a Deo Patre.* Et interea addit: *Quod Deus interna sua inspiratione facit eorum animos intendere in ea quæ dicuntur, et accommodare corda sua Domino.* Certe valde aliena hæc sunt a physica prædeterminatione. Unde subjungit: *Prævenit enim non vim inferendo voluntatibus, sed suaviter trahendo eas, suasionibus suggerendo, et invitando.* Et multa similia ibi prosequitur, quibus satis evidentè hanc mentem suam ostendit.

19. Magis vero in specie attingit punctum controversiæ idem auctor, in tract. 5 ejusdem operis, cap. 4; nam in cap. 1, argumen. 2, confirmat. ultim., ut probaret omnibus non dari auxilium necessarium ac sufficiens, objecerat quia, ex duobus audientibus Evangelium, uni datur auxilium ut credat, alteri non datur. Respondet autem secundum ordinem prædes-

tionis unum credere, quia Deus ita ejus voluntatem præparavit invitando et suggerendo, qualiter aptum novit ut crederet; alium vero non credere, quia non habuit illo modo præparatam voluntatem, sed hoc ideo fuisse, quia ipse ex parte sua contempsit vocationem, ut Augustinus de Judæis dicit non potuisse credere, quia noluerunt, sed oculos clausurunt. Unde ex parte Dei, ille qui non credit, habuit auxilium ut posset credere, et sese ad accipiendam fidem accommodare, quæ doctrina eadem est cum nostra, nam per vocationem congruam explicat efficaciam auxilii, et defendit quomodo sine illa habeat aliquis auxilium vere sufficiens, quia per illum stat ut sua vocatio non sit congrua, quæ in physica prædeterminatione locum non habent. Et tandem plenior illius puncti declarationem in librum de Concordia remittit.

20. At vero F. Cumel nos doli criminatur, eo quod Driedoni tribuamus ea quæ argumentando et obijciendo in illo libro scribit, non quæ docet definiendo, in quibus suam sententiam docere vult, quia dicit Deum facere ut prædestinati seipsos bene determinent in suis electionibus, et facere ut consentiant, quamvis libere, et quod non solum persuadet, et suggerit, et invitat, nam hæc pertinent ad causas morales, sed etiam ulterius voluntatem bonam infundit, atque immittit, quæ citat ex 2 part. illius lib., cap. 2, fol. 39. Nihilominus constanter asserimus Driedonem eandem doctrinam de vocatione congrua, in utraque parte luculentissime et apertissime tradidisse. Nam imprimis in 1 part. illius operis, cap. 4. ad 2, de Tyriis et Sidoniis inquit quod isti credidissent, si virtutes illæ quæ factæ fuerant in Judæa in illis factæ fuissent. Sed hujusmodi, ait, virtutes fuerunt, non miracula, et verba foris impensa, sed et beneficia quædam intus pulsantia Judæorum pertinacium corda. Ubi aperte docet eisdem beneficiis internis fuisse Tyrios credituros; non ergo prædeterminatione. Et paulo inferius, in eodem capite, explicans egregie ac defendens Chrysostomi locutiones in hac materia, inter alia dicit: Verissime dicimus nostrum esse incipere, et credere, obedire, pulsare, petere, invocare, quia talia non sunt sine nostro arbitrio, cum sint nostri arbitrii opera. Sed ut hæc libera voluntate faciamus, misericordia Dei præveniens intus vocans et suggerens operatur, largiens spiritum fidei. In quibus verbis maxime pondere verbum incipimus, in quo scrupulosissimi sunt adversarii. Driedo autem intrepide affir-

mat voluntatem jam præventam et excitatam incipere suum consensum, utique se nondum prædeterminatam determinando, Deo illi cooperante. Multaque similia in discursu illius capitis dicit, quæ longum esset referre. Solum ergo observo nullum motum prævenientis gratiæ ponere, nisi ad excitantem gratiam pertinentem, referendo et confirmando, quæ in tract. de Captivit. et redempt. dixerat.

21. Constituit Driedo differentiam inter dæmones et Deum. — Jam vero in secunda parte illius operis, quæ tria habet capita, nullus est qui ignoret quin primo capite argumentando procedat, nec ego scio aliquem ex nostris qui mentem Driedonis ex illo capite collegerit; nec ex secundo capite, in prima parte illius, nam ibi preambula quædam tradit generalia, et omnibus communia. Neque etiam in secunda parte illius capitis ego illum allegavi in libris de Auxiliis; quia vero inde obijciuntur verba allegata, respondeo ibi constituere Driedonem differentiam inter dæmones et Deum, quod dæmon potest, proponendo objectum, invitare, sed non potest producere cogitationem malam, aut voluntatem malam; Deus vero non solum invitat, nec solum sua dat aut suggerit, sed et voluntatem bonam infundit ac immittit. Quæ differentia verissima est, locumque habet, etiam in ipsis motibus gratiæ excitantis ante consensum. Nam dæmon, licet possit tentare exterius, vel per phantasmata, non tamen potest in intellectu efficere cogitationem, aut in voluntate aliquem motum, etiam primo primum; Deus autem per se efficit in voluntate affectionem bonam, et dilectionem, et complacentiam non liberam. Quam etiam differentiam nos supra constituimus, ut ostenderemus majorem Dei efficaciam in persuadendo, et trahendo voluntatem, quamvis illam non determinet. Illa ergo verba nihil ad præsentem causam referunt; imo post illa subjungit Driedo: Neuter tamen (id est nec Deus, nec diabolus) hominis voluntatem cogit, sed uterque cogit liberum hominis consensum; et paulo inferius etiam de divina prædeterminatione dicit, quod libertatem non cogit, et addit: Sed neque urget ulla necessitate, quod tam in bono quam in malo, ita libere operatur, ut facere et non facere æque in ejus sit potestate. Quod quomodo verum sit, si prædeterminatio infert physicam prædeterminationem, non video. Cætera vero quæ ibi dicit, maxime in conclusione quinta, verissima sunt, et communia, ideoque ad probandam physicam prædeterminationem non pertinentia. In illa

ergo parte illius operis, tertium caput est maximæ considerationis, quem locum in lib. 3 de Auxil. allegavi, licet verba omiserim, quia sunt clarissima, præsertim in solutione ad primam secundæ partis, § Quantum vero attinet ad liberum arbitrium; ibi enim imprimis ait, homines a Deo justificatos suis consiliis, etc., seipsos determinare ad bonorum operum electionem, sed Deum facere, ut homo sic determinet. Declarans autem quomodo id faciat Deus, subjungit: Ipse est a quo sancta sunt opera, non quod nos hæc non faciamus, sed quod ipse adjuvet, ut nostra voluntate hæc omnia faciamus; et addit, quod notandum est: Nostraque sponte incipiamus recte nobis consulere, et de agendis pro nostra salute deliberare. Et infra repetit, quidquid Deus erga nos incipiens operatur, id facere internis exhortationibus et inspirationibus, ut voluntas illis excitata præsidii illi operanti cooperetur, quæ sunt verba Prosperi. Eandemque doctrinam in § Ad illud, iterum atque iterum repetit, variisque modis exponit, et semper docet tractionem Dei fieri per motus excitantis gratiæ, per quos voluntas accipit potestatem consentiendi, retenta potestate resistendi, et Deum solum trahere, et incipere quoad priores motus, non tamen solum operari ipsum consensum. Ac tandem simili modo in solut. ad 2, declarat tractionem hominis ad fidem, per illos motus, post quos homo libera voluntate incipit credere. Et infra, in § Respondeo verissimum, inter alia quæ pro concordia libertatis cum prædeterminatione docet, inquit: Tametsi homo non possit resistere divinæ prædeterminationi et intentioni, seu voluntati, quæ est secundum æternum ejus propositum, utique tamen potest resistere divinæ inspirationi. Non agnoscit ergo inspirationem, vel motionem ita prædeterminantem, ut ei non possit resistere. Multa denique similia poterit unusquisque in illo auctore observare, sed illa omittimus, quia hæc sufficientissima sunt, tum ad defensionem nostræ fidei in allegando, tum etiam ad veritatis confirmationem.

22. Allegatur Stapletonius. — Septimo, allegare solemus Stapletonium, quia non solum assertorem, sed etiam propugnatorem nostræ sententiæ existimamus. Verumtamen hunc etiam nobis eripere conatur P. Cumel, et columnam integram contra nos, et in suum favorem inducit, sumptam ex libro quarto de Justificatione, seu de Grat. et liber. arbitr., capite decimo-octavo. Verumtamen hoc exemplo clare intelligit lector, non mala fide (hoc

enim tam gravibus et religiosis viris non tribuam), sed mala illatione citari auctores ab his Patribus. Nam omnia verba quæ ibi Cumel refert generalia sunt, ut, quod nemo resistit voluntati divinæ; quod, salva libertate hominis, habet Deus omnipotentissimam potestatem in cor ejus; quod justificatio est quædam creatio, quia principium ejus ex solo Deo est, ut datur gratia efficax, et quod Augustinus tribuit alicui vocationi efficacissimam et infallibilem operationem, salva libertate, quodque potissima et efficacior causa, cur ex duobus vocatis hic convertitur et non ille, est divina voluntas, prædestinatio, et gratia. Ac denique quod, licet voluntas possit semper resistere gratiæ, nihilominus aliquando infallibiliter non resistat.

23. Ex quibus omnia priora sunt a nobis in superioribus tradita et comprobata, hoc autem ultimum maxime repugnat adversariis. Nam de auxilio prædeterminante docent, non solum voluntatem illi non resistere, verum etiam nec posse resistere. Stapletonius autem optime docet omni præviæ motioni Dei posse voluntatem resistere, licet interdum infallibile sit non restitutam, quia motio datur ex proposito, seu absoluta intentione Dei, in occasione opportuna, cum prævia certitudine ex parte Dei, quæ in verba infallibiliter denotatur. Ultra hoc vero expendat lector non unum, vel aliud verbum illius libri, sed totam doctrinæ seriem, a principio usque ad finem, et sole clarius videbit neque in uno verbo a nostra doctrina discrepare. Nam antea ponit præparantem, seu prævenientem, ac præmoventem, ac præviæ gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis libere cooperantibus, et mere gratis, et in hac ponit initium justitiæ, eamque constituit in motibus et actibus vitalibus gratiæ excitantis, et per hanc dicit facere Deum ut velimus, et similia: huic vero statim subjungit voluntatis libertatem cum cooperante gratia, neque aliam motionem prædeterminantem præviæ agnoscit.

24. Ut autem hoc fiat evidentius, et certissime constet quantum cohereant illæ locutiones generales cum nostra doctrina, non gravabor ad litteram referre alia ejusdem auctoris testimonia, in quibus formaliter et expresse prædeterminationem refutat, et congruam vocationem stabilis. Igitur in Antidotis Apostolicis ad Acta Apostolorum, capite nono, circa illa verba Pauli, Domine, quid me vis facere? impugnans Calvinum, et defendens libertatem, etiam in conversione Pauli, inter alia